

**De chorea St. Viti : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor Philibertus Dettmann ; opponentibus G. Bruennow, G. Erdtmann, B. Koehler.**

**Contributors**

Dettmann, Philibert Franz Ludwig, 1823-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typis Gustavi Schade, [1847]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/d7vth8hn>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

(19.) A 8 May  
**DE CHOREA ST. VITI.**

---

**DISSERTATIO**

**INAUGURALIS MEDICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

**FREDERICA GUILLERMA**

UT SUMMI

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

**DIE XVII. M. SEXTILIS A. MDCCCXLVII**

H. L. Q. S.

PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR

**PHILIBERTUS DETTMANN**

BORUSSUS - ORIENTALIS.

---

**OPPONENTIBUS:**

G. BRUENNOW, MED. ET CHIR. DR.

G. ERDTMANN, MED. ET CHIR. DD.

B. KOEHLER, MED. ET CHIR. DD.

---

**BEROLINI**

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

DE CHOREA ST. VITI.

DISSERTATIO

IN AUCTORITATE MEDICA

OPERA

CONSENSU ET AUCTORITATE

CELESTISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

BEROLINENSIS PUBLICE

ET SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RECEPIT SIBI CONCEDANTUR

DIE XVII. M. SEXTUS A. MDCCCLXVII

M. A. G. B.

PUBLICA DEFENDIT

AUCTOR

PHILIPPUS DETTMANN

PHYSICUS ORDINARIUS

OPPOONENTES:

G. BRUNNOW, MED. ET CHIR. DO.

G. ERDMANN, MED. ET CHIR. DO.

D. KÖRNER, MED. ET CHIR. DO.

BEROLINI

APUD GUSTAVI SCHULZE



# PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE

SUMMA PIETATE PROSEQUENDIS

FILII

**HASCE**  
**STUDIORUM PRIMITIAS**

**PIO GRATOQUE ANIMO**

**D. D. D.**

**FILIUS.**



**A**d rem tanti momenti tractandam, quanti Choream esse scimus, etsi me tironem vires deficiunt, quibus ad difficultates omnes, quae opponuntur, superandas opus est, impulit me exemplum, cujus observandi occasio in policlinico medico mihi sese obtulit.

Varias de Chorea promulgatas esse sententias mirari non licet, quum alii morbum modo ex momentis causalibus fere remotis dijudicarint, alii necroscopia, quae nihil certi praebuit, permultas autem organorum alterationes, deduxerint. Itaque facile fieri potuit, ut Hamilton ex laesis tubi intestinalis functionibus, quae sympathice in musculos vim exserant, morbum nasci opinaretur, Bouteille, Clutterbuck, Serres, Lisfranc ex inflammatoria systematis cerebro-spinalis affectione. De Haën autem nervum sympathicum praecipue laborare censuit, Serres morbi sedem in corporibus quadrigeminis, Bouillaud et Magendie in cerebello, alii in medulla spinali posuerunt. Meissner Choream esse morbum evo-



lutionis et consistere in adaucta irritabilitate systematis genitalium, quae ad medullam spinalem, ex qua motus illi extremitatum emanant involuntarii, propagetur, sibi persuasit. Stiebel in eo quidem huic assentitur, quod morbum cum evolutionis processu nexum alere dicit, sed eo discrepat, quod vertebrarum intumescencia aut medullae spinalis velamentorum turgescencia gignatur nervorum medullae aut oblongatae aut spinalis motoriorum irritatio. Omnes autem conjecturas, quae plus minusve claudicant et facili negotio refutari possunt, hoc loco enumerare longum est. Ceterum collectis omnibus symptomatibus, duce physiologia plerique et maximo quidem jure in eo congruunt, quod Choream sedem habere censent in medulla et ad spasmos spinales esse referendam. Choreae autem proprii sunt motus illi singulorum vel complurium complexuum musculorum combinati, qui a cerebro non pendent, sed quominus ab illo intenti ad effectum adducantur, prohibent et hoc labore ipsi adaugentur. Quod ad symptomata attinet, quibus morbus initium capessere solet, Jeffreys <sup>1)</sup> contendit, semper antecedere viarum primarum turbationes, sensus ingratos, praecipue medullae spinalis, sanguinis systematis affectionem, cordis palpitationes, vertigines, capitis et faciei dolorem. Quae etiamsi re vera non ita se habent, tamen

---

<sup>1)</sup> Sammlung auserlesener Abb. Bd. XXXIII. S. 284.



negari nequit, interdum Choreae praecedere digestionis offensionem, anorexiam, saepius autem lassitudinem, animi aegritudinem, morbosam irritabilitatem, anxietatem, fletum et risum alternis vicibus. Pulsus parvus et spasticus, artus, imprimis pedes, frigidi, magnaue propensitas ad lasciviam inveniuntur <sup>1)</sup>). Levioribus plerumque symptomatibus morbus orditur ita, ut initium vix animadvertatur aut perperam dijudicetur. Motus enim involuntarii sensim sensimque apparent atque incrementa capiunt. Tum quidem aegroti sentiunt, se, quum musculi non stricte obediunt, id, quod appetunt, non assequi posse, aut inepte et celeritate quadam perficere coactos esse. Tum motus illi in contrarios, ut extensio in flexionem, adductio in abductionem et vice versa celeriter saepe trans-eunt et magis magisque quod ad extensitatem et intensitatem attinet, crescunt; brachia ultro citro-que jactantur, crura modo introrsum modo extrorsum torquentur, quin etiam truncus ipse alte extollitur. Quae quum ita sint, fieri necesse est, ut aegrotus nullum fere per momentum quiete fruatur. Mox autem musculi omnes, si respiratorios excipias, agitatione illa vel simul vel alternantes corripuntur, ita ut forma et habitus laborantis teter-

---

<sup>1)</sup> Sammlung auserl. Abhandl. 16. Bd. 1. St. p. 129. Frank, Epitome de curand. homin. morb. Libr. VII. sect. II. Viennae Austriae 1805. p. 74.



rime mutantur. At vero utriusque lateris muscoli una afficiuntur, aut singularum quidem corporis partium, aut totius corporis. Interdum autem fit, ut unius lateris sit affectio partialis et tum imprimis sinistri. Nec mirum est, omnia, quae aegrotus suscipit, aliena esse ab intentione et modo per ambages ad finem perducere, id quod jam Sydenham<sup>1)</sup> praeclare descripsit: „si vas aliquod potu repletum in manus porrigatur, antequam illud ad os possit adducere, mille gesticulationes, circulatorum instar exhibebit; cum enim poculum recta linea ori admoveri nequeat, diducta a spasmo manu, huc illuc aliquamdiu versat, donec tandem forte fortuna illud labris propius apponens, injicit atque avide haurit, tanquam misellus id tantum ageret, ut dedita opera spectantibus risum moveret.” Illi autem motus, qui voluntarie gignuntur, extemplo involuntarios partis affectae excitant, quamobrem De la Berge Choream appellat „une folie des muscles.” Attamen, etiamsi continuo fere muscoli atque una cum his corporis partes huc atque illuc vario modo moventur, aegroti de lassitudine non sunt conquesti. Observatum autem est, quum irascatur aut terrore percutiatur, aut ullo animi pathemate moveatur aegrotus, aut partes affectae teneantur, motus illos spasticos vehementissime ad-

---

<sup>1)</sup> Schedula monitoria de novae febris ingressu in Op. omn. ed. Genev. T. I. pag. 361.



augeri, noctu vero, dum aegrotus dormit, exstingui. Quibus Marshall Hall non plane assentitur: gravioribus enim in casibus, praesertim, si phantasmata inter somnum videant, aegrotos etiam noctu Chorea vexari asserit. Haud raro maniam illam musculorum, priusquam expergefactus est aeger, intrare constat. Omnes autem motus, quibus nervus sympathicus praeest, regulares procedunt. Quod ad Choreae, si diu protrahitur, vim in totum organismum attinet, faciem pallido colore imbui, pulsum vespere frequentiore fieri, corpus macrescere dicunt. Signum esse Choreae constans Stiebel, Enz, Dufossé contendunt sensibilitatem aut doloris sensum et intumescentiam vertebrae alicujus, quod vero Romberg <sup>1)</sup> refellit et nihili illam septimae colli vertebrae prominentiam aestimandam judicat. Choreae typus, quem descripsi, minoris praecipue aetatis est, quippe qua casus plurimi, praesertim inter puellas, observentur, quod Rufs tabellis demonstrat:

Infantum 189 chorea laborantium erant:

5 — 4 annorum	3 pueri	2 puellae
5 — 5 „	2 „	3 „
5 — 10 „	16 „	45 „
10 — 15 „	30 „	88 „
	<u>51</u>	<u>138</u>

Interdum etiam qui provectiores aetate sunt,

<sup>1)</sup> Lehrbuch der Nervenkrankh. Bd. I. S. 440.



Chorea corripuntur. Hic locus idoneus esse videtur ad Choreae divisiones, quae ab aliis aliae perhibitae sunt, brevibus lineis adumbrandas. Mirandum est, divisiones ex arbitrio institutas distribuendi principio plane destitui. Divisionibus enim Choreae non idem, quod par est, distribuendi principium, sed plura subsunt, modo ex morbi causis, modo ex ejus symptomatibus, modo ex typo deprompta. Sauvagesius Choream in intermittentem, verminosam, festinantem, saltatoriam, instabilem diducit, Berntius <sup>1)</sup> in intermittentem, verminosam, festinantem, saltatoriam, sedentariam, statariam, gesticulatoriam, tremulam, circumrotatoriam, continuam, regularem, irregularem, somnambulisticam, insanientem, epilepticam, paralyticam, simplicem, hydrophobicam, hystericam, universalem et partialem. Lugendum est, adjectivorum, in syllabam: *am*, *em*, *icam*, *sam*, et cetera exeuntium copiam a medicis vulgo adhibitorum non majorem esse, fortasse Choreae divisio una adaugeretur. Bouteille <sup>2)</sup> Choream in protopathicam (Chorée essentielle), deuteropathicam (Ch. secondaire) et pseudopathicam (Ch. fausse) distribuit. Prima species puram s. veram choream amplectitur, pubertatis tempore praecipue accedentem, cujus causae

---

<sup>1)</sup> Bernt. Monographia de Choreia St. Viti. Pragae 1810. Deutsch. v. J. A. Sohler. Wien 1826.

<sup>2)</sup> Traité de la Chorée etc. Par. 1810.



et symptomata semper eadem sunt, itaque nec symptomata nec effectum alius morbi, sed evolutionis solius vitium esse vindicant. Altera species homines cujusvis aetatis adgreditur, aliis cum morbis complicata est, aut eos sequitur. Causae efficientes hae sunt: capitis laesiones, Eclampsia, Apoplexia, Paralysis, chronicae pectoris affectiones, entozoa, alvi obstructiones cet.

Species tertia non vera esse Chorea, sed tantummodo aliqua symptomata ejus referre videtur, si quidem saepe nihil est, nisi spasmus universalis, epilepsia, hysteria etc. Qualis autem haec sit divisio, ex eo elucet, quod prima et secunda species secundum pathologiam, quae docet, nunquam morbum aliquam sine praedispositione atque occasione subnasci, in unam coalescunt, tertia autem huc non referenda est, quum Chorea nominari nequeat, nisi quemlibet spasmum hoc nomine designare velis. Gitterman, Wicke, Schaeffer, quorum sequitur Canstatt<sup>1)</sup> divisionem, choream etiamsi non in verminosam, catarrhalem, pituitosam etc. distribuunt, tamen quatuor in species diducunt:

1. Choream minorem s. Anglorum,
2. Choream majorem s. Germanorum,
3. Choream pandemicam s. morbos imitatorios,
4. Tarantismum.

Quo autem jure divisio haec instituat, disqui-

---

<sup>1)</sup> Canstatt, Handb. d. med. Klinik. 3. Bd. I. Abth. S. 330.



rendo dirimere aggrediamur. Chorea minor ea est ex illorum sententiis, quam supra descripsi et a majore eo discrepare dicitur, quod illius motus spastici involuntarii semper adsint, in hac autem paroxysmi cum intervallis alternent, nec unquam inveniatur Choreae minoris in majorem transitus aut vice versa. Differentia illa proposita labare mihi videtur; constat enim, si morbus in decremento versetur, motus illos involuntarios per tempus quoddam plane evanescere, quo intervalla nascantur necesse est. Sed revertamur ad Choream sic dictam majorem. Haec enim contineri dicitur paroxysmis et intervallis, saepissime per nonnullos dies protractis, qua in re Chorea aequat Epilepsiam et Eclampsiam. Paroxysmi autem componi solent modo spasmis, qui aut clonici aut tonici aut utriusque generis sunt, aut Tetano similes, modo motibus proprie associatis. Peculiares <sup>1)</sup> sunt pedum convulsiones, quibus aegroti saliant et revera saltare videntur, nonnunquam aegroti ad certum usque locum recta discurrunt <sup>2)</sup>, alii inter risum in cubiculis suis in gyros versantur, exactissime tamen omnia impedimenta vitant <sup>3)</sup>; saepe partem aliquam vehementer et continuo percutiunt, ut stratis suppo-

---

<sup>1)</sup> Dorfmueller l. c. — Hufeland, Journ. B. 44. St. 5. p. 48. — Hand. ibid. B. 26. St. 3. p. 83.

<sup>2)</sup> Jahn's Klinik d. chron. Krankh. Erfurt, 1815. B. 1. p. 243.

<sup>3)</sup> Sauvages l. c. B. 1. p. 59.



sitis contegi debent <sup>1)</sup>. Aliis cupiditas vehemens inest, loca celsiora adscendendi, quod summa cum dexteritate praestant; cujus quidem rei exemplum *Dorfmueller* enarrat <sup>2)</sup>. Aegrotos etiam, quum psychicae functiones plerumque admodum laesae sint, laborare scimus fatuitate, mania, aut delirio, aut ecstasi. In qua dum versantur, quamvis non haesitant lingua, ut illi chorea minore correpti, tamen obmutescunt et in paroxysmis ipsis haud raro mentis impotes redduntur. Praeprimis haec alienatio mentis apparet, si morbus noster, quamvis rarissimis in exemplis, in statum illum convertitur, quem ecstasin, s. somnambulismum spontaneum nominant, qui majorem affinitatem cum crisi magnetismi animalis exhibet <sup>3)</sup>. Ne imagines fumosas somnambulismi porro attingam, descriptioni Choreae sic dictae majoris, quae peropportunam dabat occasionem decipiendi, modo addam eorum sententiam, qui Choream hanc subito, dum in acme versetur, plane desinere et sanari posse, contendunt. Ex his autem elucet, Choream majorem eandem fere esse ac prius descriptam, sed complicatam psychicis cum convulsionibus. Eadem ratio est choreae pandemicae et morborum popularium imitatoriorum, qui dicuntur et qui variis temporibus floruerunt et

---

<sup>1)</sup> *Wichmann* l. c. p. 140.

<sup>2)</sup> *Richter's specielle Therapie*. B. 7. p. 733.

<sup>3)</sup> *Kluge, Versuche einer Darstellung d. animal. Magnetism.* Berlin 1811. p. 108 et seq.



ab Ozanam in scriptiuncula inscripta „Danse de St. Guy” collecti sunt. Pausanias jam affert exempla illorum: Protei filias, quae in vaccas sese abiisse credentes, in campo circumvagatas esse dicens. Medio autem aevo summum fastigium illos morbos assecutos esse constat. Bzovius et Raynaldus <sup>1)</sup> saltandi furorem per totam Germaniam et Mezerai <sup>2)</sup> eundem per Bataviae partem epidemice grassantem observarunt, qui nec aetati, nec sexui ulli parceret. Homines gregatim concurrerunt et vestimentis abjectis, nec ulla interposita mora, die noctuque saltaverunt. An morbus ille Chorea fuerit, multi dubitant auctores, alii perhibent Raphaniam fuisse, sed verosimilius redditur descriptione illorum auctorum, nec Choream nec Raphaniam fuisse, sed similem affectionem spasticam ex causis non satis cognitis, coenobiatu, peregrinationibus religiosis, adspectuque saltantium, mediante nervorum influxu <sup>3)</sup>. Tum memorantur expeditiones puerorum, Leucanthropia, cet., quin etiam recentiori tempore pandemiae illae imitatoriae regnasse dicuntur, magis autem endemice quam epidemice, ut in Scotia septentrionali, ubi morbus ille Leaping Ague (Springfieber) nominatur.

<sup>1)</sup> Annales eccles. a. 1374. N. 13. p. 527. — Schenk l. c. p. 216. — Sprengel's Geschichte der Arzneikunst. 2. Aufl. B. 2. p. 560.

<sup>2)</sup> Historia Caroli quinti.

<sup>3)</sup> Reil, über Erkenntniß u. Kur d. Fieber. B. 4. p. 646.



Sin vero nonnulli ad notionem Choreae magis confundendam atque turbendam Tarantismum huc referunt, eodem jure omnia veneficia, quae motus involuntarios et convulsiones secum ferunt, ei adnumerari haud dubie licet, exempli gratia raphaniam. De Tarantismo ipso alii aliam sententiam proferunt. Mathioli quidem hoc modo morbum adumbrat: „Icti a Tarantulis non solum alii perpetuo canunt, alii rident, alii plorant, alii clamitant, sed et, quod praecipue mirum, veneni hujus vis musica mulcetur. Quandoquidem auditis lyricis instrumentis, per tibiaram sonum primo statim occursum icti a tarantula a plangoribus cessant et in medium tripudiare et saltare incipiunt, tamque diu rem persequuntur, ac si sani essent et nullo usquam tenerentur dolore. Quod si eveniat, ut tibicines tantillum quiescant, non multo post tempore in terram concidunt et ad pristinos redeunt languores, nisi tam diu indeficiente sonitu saliant atque tripudiant, donec venenum partim insensibiliter per cutis meatus, partim per sudorem exeat et discutiatur. Ob id igitur tibicines stipendio conducuntur alternatimque mutantur, ut absque ulla sonitus intermissione tamdiu demorsi quousque penitus curati conquiescant.” Ab aliis autem haec fabulosa narratio refellitur. Experientia enim testatur <sup>1)</sup>, tarantulae morsum nil nisi tumorem dolori-

---

<sup>1)</sup> Burserii institut. medic. pract. Lips. 1798. B. III. p. 179.  
— Frank l. c. p. 73.



ficum procreare. Sauvagesius quidem<sup>1)</sup> graviores affectiones, ut somnolentiam, cardialgiam vel cordis oppressionem, doloresque deinde in singulis corporis articulis moveri, sed nunquam saltandi vel necessitatem vel cupiditatem nasci, sed morbum diaphoreticis sanari, asseruit. Utrum nostro tempore tarantismus in Italia, ut nonnulli, inter quos Canstatt<sup>2)</sup>, contendunt, observetur quaestio est, quam dirimere non audeo; tarantismum vero non Choreae speciem sistere, ex causis jam supra allatis manifestum et apertum est.

### *Anatomia pathologica.*

Lugendum est, anatomiam pathologicam, quum Choreae perraro lethalis evadat et tum praemissis quidem mutationibus organicis, quas, quod organorum functiones spasmis impediantur ac alterentur, secundarias exoriri necesse est, imprimis aliis morbis complicatis, non eandem lucem quam aliis in casibus suppeditare. Itaque si ab aliis alia sectionibus inveniuntur, ex causis jam allatis mirari non licet. Brown, Coxe, William oppletionem cerebri vasorum et exsudatum serosum reppererunt, Cruikshank pseudomembranosam in dura matre depositionem, Farns ossificationes piaë matris

---

<sup>1)</sup> 1. c. Lib. II. pag. 229.

<sup>2)</sup> Handb. d. medic. Klinik. B. 3. 1. Abth. S. 335.



detegit. Berres autem refert de oppletione, inflammatione et extravasato corporum quadrigeminarum, quae quatuor in casibus ei occurrerint. Roesser, Hutin, Monod animadvertebant hypertrophiam substantiae corticalis et cerebri et medullae spinalis, alii, ut Gendron, Courtois, Rufs, Guerant medullae spinalis malaciam et partialem et totalem, alii in aliis provinciis corporis destructiones invenerunt. Omnia si complectimur, certi nihil obtinemus, nisi fortasse observationes Rob. Frorieper aliquid suppeditent. Vir ille aliquot in casibus degeneratum vidit processum odontoideum ac intumescencia adauctum, qua medulla ita, ut impressiones facile perspicerentur, comprimebatur.

### *Aetiologia.*

Causae, ex quibus originem ducit Chorea, non certae sunt, occasionales autem complures afferuntur. Etiam si hereditaria propagatio vulgo repudiatur, tamen negari non potest, transferri nervorum debilitatem ac irritabilitatem parentum ad prolem, quamobrem haec, si jam opportuna est, occasione data facilius corripitur et hoc sufficit, ad casus illos, qui complures eadem in familia occurrunt, explicandos. Stiebel autem, Elliotson, Choream putant esse hereditariam et Mayo commemorat casum quendam una cum fatuitate congenita. Jam De-



sperrieres <sup>1)</sup> mentionem facit duarum sororum, quarum mater prius etiam Chorea agitabatur, quae quidem ante catameniorum introitum eidem malo submittebantur. Simile exemplum <sup>2)</sup> de patre familias quodam perhibetur, qui puerili aetate Chorea laboravit et cujus liberi tres eodem malo infestabantur. Attamen ad haec explicanda, etiamsi Choream non hereditariam esse censeo, sufficiunt, quae supra dixi. At vero magni momenti esse ad morbum procreandum periodus evolutionis videtur; in hac enim plurimi casus observantur, imprimis apud puellas, quae priusquam menses fluere incipiunt, corripitur solent, liberari autem, si illi fluunt. Quod ad constitutionem attinet, in Choream non multum influit. Nam eodem modo et robusti et debiles afficiuntur. Consueto autem more cum constitutione debili conjuncta esse solet major nervorum irritabilitas, ergo fons, ex quo manare videtur Chorea. Mirum est, hanc in regionibus septentrionalibus frequentiore inveniri, quam in meridionalibus. Ad causas autem occasionales animi affectus, ut terrorem, metum, nec non educationem strenuiorem cet. maxime pertinere, inter omnes constat <sup>3)</sup>. Imi-

---

<sup>1)</sup> Desperrieres in histoire de la Société medicin. 1783. p. 240.

<sup>2)</sup> Hufeland, Journ. B. 45. St. 5. p. 104.

<sup>3)</sup> Gondinet. Annales de la Société medicin. pract. de Montpellier 1806.



tatoriam quoque vim afferunt alii, ut Stiebel <sup>1)</sup>, J. Frank, qui hanc ob rem, quum Judaeos saepius Chorea laborasse vidisset, scribit: „nec mirum, gentem generatim gesticulationibus adsuetam praecipue gesticulatorio morbo obnoxiam esse.” Alii autem, ut Rufs z, hanc sententiam de vi imitatoria plane rejiciunt. Praeter alias causas huc referuntur saburrae gastricae, praesertim vermes <sup>2)</sup>, Ascari-  
rides, ab aliis etiam rheumatismus (Bright), suppressio secretionum consuetarum, deinde omnes fere causae occasionales, quae aliis in morbis quoque accusari solent.

### *Decursus et exitus.*

Chorea maximam partem ad eos morbos, qui feliciter finiuntur, pertinet. Inter omnes enim constat, eam praeterito tempore quodam, quod consueto more circa diem 49. Reves, Dufossé circa diem 57. evenire, interdum autem ad duas hebdomades reduci, aut usque ad sex vel diutius protrahi confirmarunt, natura ipsa, etiamsi nulla adhibueris medicamina, compluribus in casibus sanari. Quod quidem ita fieri solet, ut musculorum motus irregu-

---

<sup>1)</sup> Praecepta etc. T. I. Sect. 2. p. 264.

<sup>2)</sup> Stoll, ratio medend. Tom. III. p. 416. — Wendt, Nachricht. V—VI. p. 21.



lares comminuantur ac sedentur, insultus interjectis longioribus intervallis mitiores ac breviores redeant, denique omnino desinant. Interdum una cum hac remissione observantur aliae organismi mutationes: diarrhoea, fluxus mensium, vermes expulsi cet., quae a nonnullis crises vocantur. Sin vero negari nequit, quin hae res, quum organismus sustineat mutationem quandam, effectum in Choream ipsam exercere possint, tamen accessoriae esse videntur, nec ullo modo criseos nomine significandae, quippe quae morbo tenaciter persistente saepissime observentur. Choreia ad reversiones prona est, quae periodice intrare solent, potest etiam habitualis aut chronica fieri, quo in casu motus illi morbi proprii aut partiales aut totales, sed minore gradu, remanent. Quod ad vim attinet, quam Choreia diu protracta in musculorum nutritionem exercet, sunt, qui contendunt, atrophiam nasci et ad sententiam suam stabiliendam exempla afferant, ut Rostan<sup>1)</sup>.

Interdum accidit, ut morbus in maniam, hysteriam cet. transeat. Mortem autem aegroti nunquam subeunt, nisi ex cultis aliis morbis accessoriis, vel cerebri vel medullae spinalis organicis, aut febris hectica, quae si Choreia diu persistit, exhaustis nervorum viribus irruere potest, id quod autem rarissime fieri solet.

---

<sup>1)</sup> cours de med. clin. 2 edit. T. II. p. 734.



### *Prognosis.*

In universum bona auguranda est, quum morbus solito more nec lethalem sortiatur exitum, nec majoris momenti residua relinquat. Attamen cum in aliis tum in hoc dispiciendum est, quam aetate chorea appareat, deinde per quodnam tempus persistat, et quae sint complicationes. Haud dubie optimam prognosin Choreae evolutionis tempore exorta suppeditat, tum sequuntur, etiamsi minorem deinceps spem praebent, Choreae provectoris aetatis, partialis, chronica. Maximae autem sanationis difficultates emanant ex illa, quae aliis cum morbis, imprimis cerebri affectionibus, complicata est, quo in casu prognosis semper dubia apparet.

### *Curatio.*

Mirari non licet, permulta medicamina quasi Choreae specifica commendata esse sed adhibita minime, quod ad eventum pertinet, illa laude, quam alii iis vindicant, digna inveniri; hoc enim facile explicatur, si consuetum Choreae exitum naturae ope effectum respicias, quo fieri potest, ut insons medicamen, quod tum adhibetur, vim, quae haudquaquam ei tribuenda est, sibi arroget. Alii anthelmintica, purgantia cujusvis generis adhibent, alii



antiphlogisticis utuntur, alii nervinis, sedativis, tonicis, ex quibus elucet, curandi methodum variam esse variis ex sententiis de Choreae morbo prolatis. Omnia autem medicamina, quae laudibus hic illic extolluntur, enumerare longum est, sufficiat igitur adnotasse, ex his componi posse fere totam materiam medicam. Sed eo magis necesse est, medicamina, quorum auxilio difficilioribus in casibus, imprimis in chorea habituali, fiduciam habere possimus, cognosci. Plerique purgantia adhibent, si curationem incipiunt, imprimis apud aegrotos constitutione robusta. Eadem autem methodus indicatur, ubi Choreae complicata est cum ecstasi, quam puelis non menstruatis saepius supervenire novimus. In quibus deinde cura, quae in menstruationem eliciendam quadrat, instituatur necesse est. Attamen ad Choream ipsam, imprimis chronicam, debellandam inserviunt specifica, quae maximam partem ad metallica pertinent, ut Zincum, Ferrum, eorumque praeparata, Argentum nitricum, Arsenicum. Usitata autem Zinci florum dosis est gr. iij quater per diem, Hufeland usque ad gr. xvj ter per diem adhibuit. Quod ad Zinci praeparata attinet, alia aliis praeferuntur, imprimis Zincum hydrocyanicum, cujus Hertentrath, Guenther, Mueller et cet. adhibent gr. iij per diem. Maximis autem laudibus ferrum et Arsenicum ubique celebrantur a viris maxima quidem auctoritate pollentibus. Inter ferri praeparata primum locum sibi vindicat ferrum hydro-



cyanatum, cujus dosis gr. ij — v est, quae quidem ad aetatem accommodatur. Tum sequitur ferrum carbonicum, cujus variis dosibus utuntur medici. Angli imprimis eo excellunt, quod hoc praeparatum enormi dosi ( $\bar{3}j\beta$  per diem) imperant, ut Elliotson. Usitata vero eius dosis  $\Theta\beta$  est. Alia praeparata ferri minoris habentur momenti, nec saepius adhibentur. Arsenici autem, quod ne imperetur plerique timidi dissuadent et modo permittunt, ut difficillimis in casibus adhibeatur, efficacia in choream salutaris in dies magis innotescit. Quod medicamen imprimis Martin, Travers, Gregory, Girdlestone, Macléon, Babington, Romberg commendant. Usitata autem ejus forma est tinctura Fowleri, cujus pro dosi guttas 2, 3, 5, Aquae destillatae commixtas, ter per diem sumi jubet Romberg. Vir ille egregius nunquam usu tincturae Fowleri se observasse dicit veneficium, per raro prodromos; sed constare dicit, adhibito illo medicamine digestionem melius procedere, appetitum adaugeri et aegrotos ipsos validiores evadere. Ad sustinendam vero curationem internam inserviunt balnea et frigida et tepida et vaporaria. Balnea frigida praecipue adhibuit Dupuytren et contendit Choream, si laborantes in aquam frigidam immergantur, nunquam resistere. Attamen haec sententia aliorum experientia refellitur. Dupuytren hoc modo usus est balneis frigidis: aegrotum extremitatibus jussit prehendi a custodibus duobus et quin-



quies vel sexies intra horae quadrantem per aquam temperaturae 10 — 15° Cel. trahi, tum abstergi et velamentis tepidis indui; feminas autem solis affusionibus frigidis tractavit.

Baudelocque primus in usum vocavit balneum tepidum, in quo solvi solent kali sulphurati  $\mathfrak{z}\text{ijv}$ , et adhibendum suasit quinquies per hebdomadem. Nonnulli contendunt, his Choream reddi breviorum et Rufs decem vel duodecim hujus generis balnea sufficere tradit ad morbum sanandum. Attamen casus occurrunt, in quibus balnea haec minorem vim exercent; ad quos etiam ille, quem describere aggrediar, referendus est.

### *Historia morbi.*

Fridericus Koh.... 35 annos natus, sartor, quamvis constitutione debili, tamen semper fere gavisus erat, excepta feбри nervosa, qua ante annos septem laboraverat, bona valetudine. Mense autem Novembri anni praeteriti subito animadvertit brachium dextrum in exequendis motibus non priorem firmitatem habere, sed tremere, qui tremores hebdomade praeterita in motus, a voluntate omnino alienos vehementissime convulsivos, transierunt. Quae quum per breve tempus exstitissent, paulatim omnes partes, quas nervus accessorius gubernat, affectae sunt



eodemque modo extremitates, excepto brachio sinistro, quod antea Rheumatismo obnoxium fuisse dicitur et doloribus quidem tunc non liberum erat, attamen voluntati obediebat. Aegrotus, quum mense Aprili a policlinico medico auxilium peteret, Chorea exquisita laboravit. Caput enim affecto musculo sternocleidomastoideo motibus convulsivis in latus sinistrum trahebatur, extremitates spasmis clonicis detorquebantur et modo huc modo illuc vi quadam ac celeritate jactabantur. Dolores partium affectarum aegrotus non est conquestus, sed cephalaeam ac lassitudinem. Quod ad sensibilitatem illarum partium attinet, a normali non recessit, neque enim aucta, nec diminuta fuit. Motus illi convulsivi, si aegrotus omnem voluntatis vim adhibet, per breve momentum desinunt, sed semper congestiones ad cerebrum illas energicas voluntatis intentiones sequuntur, motus adaucti tum redeunt. Noctem autem placide peragit illis motibus liber, qui paulatim, dum dormire incipit, sedantur, tum plane exstinguuntur. Sin vero aegrotus expergefactus est, illi redeunt magis magisque intensitate crescentes, retardantur autem mane si quietus in cubiculo versatur. Ceterum animadvertit, labores tam mentis quam corporis maximam exserere vim ad motus illos aggravandos. Aliae organismi functiones normales sunt. Quod ad causam efficientem attinet, aegrotus contendit, se perfrigerium esse passum mense sextili, id quod, si aegrotum usque



ad mensem Novembrem bene se habuisse meditamur, haud verisimile est. Nihil desuper, si omnia percontamur, invenitur, irritatio nec cerebri nec medullae spinalis, nec tubi intestinalis. Primum balnea sulphurata a Baudelocque commendata adhibita sunt alternis diebus, sed sine ullo fructu, quin adeo insultus illi augebantur. Tum aegrotus, applicatis circa columnam vertebralem depletionibus sanguinis, usus est affusionibus frigidis et ferro, quo factum est, ut morbus comminueretur. Praeteritis sex hebdomadibus, ex quo curatio administrabatur, aegrotus sumserat ferri zootici drachmas duas, ferri carbonici drachmas octo. Deinde, quum morbus in eo esset, ut finiretur, omnium symptomatum exacerbatio subito, absque manifesta causa, apparuit. Proinde ad Arsenicum confugimus et Tinct. Fowleri guttas tres, ter per diem imperavimus, praeterea balnea vaporaria. Lugendum vero est, medicamen breve tempus adhibitum seponi debuisse, quod ab aegroto non ferebatur. Tunc comperimus, aegrotum, antequam Chorea inceperit, largissimo pedum sudore laborasse, eoque suppresso in Choream incidisse et secretionem illam ne vaporariis quidem balneis, quae, dum curatio instituebatur, adhibuit, recuperasse. Eodem tempore, nescio qua ductus causa, curam ipse instituit, utens nimirum formicarum vaporibus et balneis tepidis ex illarum absudo paratis, quibus Choream remisisse et modo intervallis longioribus rediisse



dicat aeger. Experiendi causa, num res vere ita se habeat et Chorea fortasse debelletur, continuatur curatio ab aegroto ipso instituta. Hebdomadibus autem fere duabus praeteritis, quibus balnea illa, quae jam commemoravi, duodecies adhibita sunt, aegrotus non modo pedum sudorem restitutum esse, sed etiam, quum Choreae sanatio majores fecisset progressus, extremitates magis ad voluntatem, quamquam paulatim incerte moveri, animadvertit. Ceterum majora intervalla, in quibus morbo liberatus sit, adesse, Choream autem ipsam, si intret, quod ad motus illos involuntarios multo mitiorem evasisse fatetur. Curatio etiamnum continuatur. Sed haec hactenus.



## LITTERATURA.

Th. Sydenham, *Schedula monitor. de nov. Febr. ingressu.*

*In Opp. omn.*

Wedel de *Chorea St. Viti.* Jena 1682.

Spangenberg de *Chorea St. Viti.* Franc. 1786.

Berends, D. de morbi genere, quem *Viti choream* dicunt.

Francof. 1799.

J. Bernt, *Monographia Choreae St. Viti.* Prag 1810.

Deutsch v. Sohler. Wien 1826.

E. M. Bouteille, *Tr. de la Chorée etc.* Paris 1810.

Kaczkowski, D. de *Chorea St. Viti*, spinali vitio saepe  
assignanda. Vilna 1816.

C. J. Stransky, *Tr. de St. Viti chorea.* Vienn. 1822.

J. C. Wilhelm, D. de *chorea St. Viti.* Lips. 1825.

Th. Jeffreys, in *Edinb. med. and. surg. Journ.* April  
1825 p. 273. *Sammlg. a. A. B. XXXIII. S. 281.*

Gittmann, in *Hufeland Journ.* 1826. Bd. LXII. St. 1.  
S. 62.

E. C. Wicke, in *Horn's Archiv* 1830. März u. April.  
S. 189.

F. L. Meissner, in *Siebolds Journ. f. Geburtsh.* 1830.  
Bd. IX. S. 604.



Dufossé, Tr. de la Chorée. Paris 1836.

Stiebel, in Caspers Wochenschr. 1837. N. 1. Schmidts Jahrb. Bd. XVIII. S. 292.

R. Froriep, in Frorieps Notizen 839. N. 224. Schmidts Jahrb. Bd. XXIV. S. 182.

Cohen, in Canstatts Jahrb. f. 1840. Kinderkrankh. S. 22.

Bartels, im encyclop. Wörterbuch d. med. Wissenschaften. Berlin 1831. Bd. VII.

Just. Kerner, in med. Convers.-Bl. 1831. N. 43.

F. F. Hecker, d. Tanzwuth, e. Volkskrankheit im Mittelalter. Berlin 1832.

Tischendorf, in Clarus u. Rad. Beitr. B. 1. Seite 355.

Rufsz, in Archiv. gén. 1834. Févr. Schmidt's Jahrbuch. Bd. III. S. 49.

Constant, im Bull. de Therap. 1835. Juin.

Berge und Monneret, Compend. de méd. 1838. T. II. S. 286.

Copland, encyclop Wört. Bd. II. S. 170.

Bacington, in Guy's hospit. Reports. 1841. Oct.

Georget, im Dict. de med. 1. Edit.

Blache, im Dict. de med. 2. Edit.

Romberg, Lehrbuch etc. Bd. 1. S. 436.



## V I T A.

**Philibertus Franciscus Ludovicus Dettmann**, confessioni evangelicae addictus, die XXII mens. sextilis a. MDCCCXXIII, patre Francisco Guilelmo, actuario regio, matre Mathilda e gente Grun, quos Deus O. M. mihi servavit, Mehlaukenae, oppidulo Borussiae orientalis, natus sum. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Tilsense adii, quod tunc temporis directore Cel. Coerber floruit, ubi me erudiverunt prof. Lentz, Heidenreich, Schneider, Wichert, Clemens, Zeyls, Gisevius, Kessler, quibus omnibus pro multis de me meritis summas ago gratias.

Anno MDCCCXLIII in numerum civium academiae almae Albertinae a prof. Ill. Neumann t. t. prorectore magnifico receptus, ab Ill. Seerig t. t. decano spectabili inscriptus sum in medicorum album. Per septem semestria his lectionibus affui:

Docuerunt me logicen Ill. Taute; philosophiam naturalem et psychologiam Ill. Rosenkrantz; physiologiam Ill. Burdach sen.; osteologiam et syndesmologiam Cel. Burow; zoologiam, splanchnologiam, angiologiam Ill. Rathke; botanicen et generalem et specialem Ill. Meyer; myologiam et neurologiam et artem cadaverum rite secandorum Ill. Burdach jun.; chemiam experimentalem et zoochemiam et phytochemiam Ill. Dulk; physicen experimentalem et organorum sensuum Ill. Moser; methodologiam et nosologiam Ill. Sachs;



pathologiam et therapiam generalem et artem formulas medicas concinnandi et materiam medicam Ill. Cruse; chirurgiam, ophthalmologiam atque artem fascias rite imponendi Ill. Seerig; artem obstetriciam et theoreticam et practicam Ill. Hayn. Praeterea interfui excursionibus botanicis duce Ill. Meyer, chemicis repetitoriis duce Ill. Dulk; clinicum medicum duce Ill. Sachs; policlinicum medicum duce Ill. Hirsch; clinicum et policlinicum chirurgicum duce Ill. Seerig per tria semestria, obstetricium duce Ill. Hayn per duo semestria frequentavi tam auscultando quam practicando.

Anni MDCCCXLVII mense Aprili universitatem litterarum Fridericam Guilelmam Berolinensem adii ibique ab prof. Ill. Boeckh h. t. rectore magnifico in civium Academiae numerum receptus, ab prof. Ill. Mueller h. t. decano spectabili in album medicorum inscriptus sum. Per semestre ibidem his interfui scholis clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Dieffenbach et Ill. Juengken; policlinico medico Ill. Romberg; clinico medico Cel. Wolff aegrotorum curationem suscipiens.

Quibus omnibus praeceptoribus, optime de me meritis gratias quam maximas ago nec unquam habere desinam.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico atque examine rigoro, rite absolutis, spero fore ut hac dissertatione et thesibus adjunctis palam defensis summi in medicina et chirurgia honores mihi deferantur.

---



## THESES.

1. Unica methodus, qua hydrocele radicitus sanatur, incisio est.
2. Mammæ carcinoma semper exigit exstirpationem.
3. Tuberculosis et Scrophulosis iidem sunt morbi.
4. Certissimum antisiphiliticum Mercurius est.